



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De abstinentia eius & infirmitatibus, ex rigore austeritatis contractis. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ceperunt. Cum semine eorum permanent bona, & eleemosynas eorum narrabit omnis Ecclesia sanctorum.

CAPVT XVII.

De abstinentiæ eius, & infirmitatibus ex rigore contractis.

1. **F**eruidus ac deuotus Dei famulus Florentius, in primordio conuersionis suæ, ad edomandâ carnis suæ concupiscentiam corpus suum ieiunijs & vigilijs rigidè nimis castigauit, non satis naturæ imbecillitatem attendens: sed in feruore spiritus tantum persequebatur hostem domesticum, vt pondere rigoris obrueret ciuem sibi adhuc necessarium & fidelè. Quia non solùm ab illicitis & superfluis abstinebat, sed multa etiam sibi necessaria subtraxit; ita vt plerumque appetitum comedendi perderet, & gustum discernendi cibos non haberet. Vnde semel accidit, vt absente coco cellarium intraret, & ex quadam amphora oleû pro ceruisia potaret: nec hoc discernere potuit, nisi quando cocus eum, de qua amphora bibisset, requisit, & tunc se errasse cognouit. Alio quoque tempore, in monasterio quodam oblatum ei fuit modicum vini ad bibendum, pro sua debilitate & reuerentia, quam ad ipsum fratres habebant. Cumque inde parum gustasset, ait astanti: Quàm acrem & amaram ceruisiam habetis. Et mirati sunt fratres, quia vinum ab alio liquore non discreuit. Comedit igitur sæpius quasi sine sapore, & potius ex necessitate naturæ, quàm ex appetitu gulæ, vel alicuius cibi suauitate.

2. Veni aliquando ad visitandum eum in camera eius, vbi sedebat debilis in lectulo suo: & salutavi eum benignè, multum dolens de eius infirmitate. Frater autem Iacobus de Viana, qui ei tunc ministravit, aliquas species confortatiuas ei obtulit, dicens: Istæ bonæ species sunt, gustes parum inde. Nonne valde bene sapiunt? Tunc ille me audiente respondit: Crustula panis meliùs vobis saperet, quàm istud mihi. Quamuis ergo torus debilis esset, & multis teneretur incommodis corporis, non tamen ab opere Dei & pijs animarum fructibus cessauit: sed quando accessus hominum pati potuit, resumpto spiritu dabat peccentibus monita salutis. Et tanto dulciùs, quanto amplius noverant eum à Deo dilectum, & infirmitatibus varijs tanquam aurum pretiosum in igne probatum.

C A.